NOUVELLE REVUE
THÉOLOGIQUE

53 Nº 5 1926

S. Congrégation des Sacrements

J. SALSMANS

p. 386 - 392

https://www.nrt.be/en/articles/s-congregation-des-sacrements-3229

Tous droits réservés. © Nouvelle revue théologique 2024

Des parrains pour le baptême. — Réponse du 24 juillet 1925 et instruction du 25 november 1925 (*A. A. S.*, t. XVIII, 1926, p. 43).

ULTRAIECTEN. — *De Patrinis baptismatis*, 24 iulii 1925.

Die 8 octobris 1924 Revmus Archiepiscopus Ultraiecten. preces, quae sequuntur, huic Sacrae Congregationi porrexit :

Beatissime Pater, — Archiepiscopus Ultraiectensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter petit solutionem dubiorum quae hisce exponuntur :

Ex can. 765, 5° C. I. C. ut quis sit baptismi patrinus, oportet baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat, vel statim levet, seu suscipiat de sacro fonte, aut de manibus baptizantis ; et ex can. 768 patrinus cum baptizato contrahit spiritualem cognationem, quae quidem ex can. 1079 matrimonium irritat. Iam vero, uti apud nos moris est, qui patrinum agere vult, nemini mandatum confert expressum, sed, nisi per se officio illo perfungatur patrinus, baptizans vel baptizandi parentes aliam personam invitant, ut pro patrino absente agat.

Hinc sequentia dubia solvenda proponuntur :

I. *an ex tali agendi modo patrinus absens contrahat cognationem spiritualem, et inde exoriatur impedimentum canonis 1079 ; et si negative :*

II. *quidnam a patrino faciendum sit ut agere valeat per procuratorem ; nimirum :*

a) an debeat conferre determinatae personae mandatum speciale ;

b) an vero sufficiat, ut edat, sive scripto sive voce, mandatum generale pro persona per parentes vel per baptizantem determinanda ; immo,

c) an sufficiat mandatum generale praesumptum pro quavis persona.

Hisce dubiis Emi Patres in plenario Conventu diei 24 iulii 1925 responderunt :

« Ad I. Si patrinus, agnoscens huiusmodi consuetudinem, eidem sese conformare intendat, et aliunde patrinus ipse esse possit ad normam can. 765, *Affirmative* ».

« Ad II. Provisum in I. Attamen praedicta consuetudo est reprobanda : 1° quia indubitanter constare debet patrinum in facie Ecclesiae proprium munus suscepisse, quod per dictam consuetudinem manet incertum et aequivocum ; 2° quia patrinus suum munus suscipere debet cum plena notitia et conscientia inde exorientis obligationis ad mentem can. 769, quod excludere videtur praefata consuetudo, quippe quae redigit patrini officium ad quemdam inanem ritum ; 3° quia ex tali recepto more facultas fere demitur parocho conditiones explorandi, quae a can. 765 et 766 requiruntur, ut quis valide et licite patrini munus suscipiat ».

« Hisce prae oculis habitis, Instructio pro Rmis Ordinariis locorum fiat ».

Facta insuper de his omnibus relatione Ssmo Domino Nostro Pio Papae XI per infrascriptum Secretarium huius Sacrae Congregationis, die 29 iulii 1925, Ssmus decisionem EE. Patrum ratam habuit et confirmavit.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius*.

INSTRUCTIO

Ex responsionibus datis ad proposita dubia, colligitur quae Emorum ac Revmorum PP. Cardinalium hac in re mens fuerit.

Equidem in spirituali hominis regeneratione, quae fit per baptismum, ex vetustissimo Ecclesiae more patrini adhibentur, qui a sacrarum rerum scriptoribus *susceptores*, vel *sponsores*, seu *fideiussores* sunt appellati, horumque mentio primis religionis christianae saeculis iam habetur, ut penes Tertullianum, *De baptismo*, cap. 18. Cum enim ex baptismo vita spiritualis incipiat et confirmatione perficiatur, Ecclesia iam e remotiore aetate baptizantem vel confirmantem nec non patrinum et matrinam habuit tamquam parentes spirituales baptizati vel confirmati ; unde nomen patrini et matrinae. Qua ex spirituali cognatione consequens fuit processu temporis, ut inductum sit impedimentum matrimonium dirimens ; idque religiose excepit lex Iustinianea (l. 26 Cod. V, 4), hanc « reddens rationem : « quum nihil aliud sic inducere potest paternam « affectionem et iustam nuptiarum prohibitionem, quam huiusmodi « nexus per quem, Deo mediante, animae eorum copulatae sunt ». Et ex hodierni nostri Codicis praescripto vi cc. 798, 797 cognationis spiritualis institutum in sua substantia perseverat immutatum ; verum hodie

mutatur eius effectus, quia cognatio tantum quae ex baptismo oritur impedimentum secumfert dirimens matrimonium (c. 1079), idemque arctioribus limitibus constrictum.

Porro Ecclesia, pro diversa temporum conditione, impedimentum ob spiritualem cognationem constitutum, diversis limitibus constringere duxit: nihilominus Decretales RR. Pontificum, instructiones a Conciliis et a Sacris Congregationibus editae, id unum constanter docent, nempe studium, quo Ecclesia semper curavit, ut patrinorum munus sancte suscipiatur, eorumdemque obligationes fideliter expleantur.

Compertum est enim quam arctis vinculis et officiis patrini ac filioli inter se devinciantur. Ait Nicolaus Papa: « Ita diligere debet homo « eum qui se suscepit de sacro fonte, sicut patrem » (c. 1, C. XXX, q. 3). « Ac veteres canones obligationes patrinorum ita diserte describunt: « Vos ante omnia, tam mulieres quam viros, qui filios in baptismo « suscepistis, moneo, ut vos cognoscatis fideiussores apud Deum exsti- « tisse pro illis, quos visi estis de sacro fonte suscipere. Ideo semper « eos admonete, ut castitatem custodiant, iustitiam diligant, caritatem « teneant. Ante omnia symbolum et Orationem Dominicam et vos ipsi « tenete, et illis, quos excepistis, ostendite » (c. 105, D. IV, *De consecr.*).

Ecclesia nempe indesinenter monuit patrinos atque edixit eosdem teneri ad religiosam filioli institutionem, ut S. C. S. O. explicavit die 9 dec. 1745, ad Mission. Aegypti, ex origine et natura patrinatus, simul referens doctrinam D. Thomae: « Spiritualis regeneratio quae fit per « baptismum, quodammodo similis est generationi carnali; et quemad- « modum in generatione carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et « paedagogo, ita quoque in regeneratione spirituali oportet ut aliquis « sit, qui fungatur vice nutricis et paedagogi, filium suum spiritualem « instruendo in iis quae pertinent ad fidem et vitam christianam » (*S. Th.*, p. III, quaest. 67, art. 7). Item in aliis Instructionibus eiusdem S. C., ut mense ianuario 1763, ad Praef. mission. Tripol.; ac die 15 sept. 1869, ad Administratorem Apost. Perthen.

Et quemadmodum Catechismus Concilii Tridentini districte commonefacit: « Universe susceptores semper cogitent se hac potissimum « lege obstrictos esse » (part. II, cap. II, n. 28), ita Codex iuris canonici « gravissimis verbis de obligationibus patrinorum quoad baptismum « praecipit: « Patrinorum est, ex suscepto munere, spiritualem filium « perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis quae ad christianae « vitae institutionem spectant, curare diligenter ut ille talem in tota « vita se praebeat, qualem futurum esse sollemni caeremonia spoponderunt » (can. 769). Atque in *Rituali Romano*, nuper ad normam Codicis accommodato, iisdem verbis officia patrinorum inculcantur (*De patrinis*, n. 38, tit. II, c. I).

Quod autem ad confirmationem spectat, in Pontificali Romano ita edicitur : « Pontifex patrino et matrinae annuntiat quod instruant filium « suum bonis moribus, quod fugiat mala et faciat bona, et doceant eum « *Credo in Deum,* et *Pater noster, Ave Maria,* quoniam ad hoc sunt obli- « gati » (tit. *De confirmandis*). Et Codex iuris canonici, can. 797 : « Pa- « trinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum « habendi eiusque christianam educationem curandi ».

Quapropter semper Ecclesia prohibuit ne ad patrini munus admittantur, qui eius obligationes implere fideliter nolint, aut sedulo non possint ; et Codex iuris canonici conditiones distincte enumeravit ad munus illud licite suscipiendum requisitas, scil. pro baptismo can. 765 et 766 quae item recoluntur in *Rituali Rom.,* l. c., nn. 35-36 ; ac pro confirmatione can. 795 et 796.

Quod vero ad quaestiones propositas a R. P. D. Archiepiscopo Ultraiecten. attinet, etiam Synodus prov. Ultraiectensis anno 1865 habita, vehementer conquerebatur quod nimis leviter et negligenter patrini munus susciperetur et perageretur, ita arguens : « Hoc officium « nimium negligenter habetur nostris diebus, deque eo vix cogitant sive « ii quibus patrini inducendi cura est, sive iis qui sanctam hanc cura- tionem in se suscipiunt ». Et Catechismus Concilii Tridentini graviter « ita hunc morem reprehendit : Hoc munus adeo negligenter in Eccle- « sia tractatur, ut nudum tantum huius functionis nomen relictum sit, « quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem homines videantur » (l. c., n. 28). Qui contemptus ecclesiasticae disciplinae hodierno tempore eo magis est deplorandus, quo gravior urget necessitas christianae fidelium institutionis.

Quamobrem Emi Patres Cardinales Sacrae huius Congregationis de disciplina Sacramentorum, cum ad proposita dubia responderint, ex relata agendi ratione cognationem spiritualem contrahi, ut supra scriptum est, acriter insimul improbarunt expositam consuetudinem, et rationes ad rem spectantes in vulgus edi iusserunt, Instructione scilicet adiecta, ut nempe gravitas muneris patrini et obligationum eius fidelibus sedulo explicetur, ab iisque intimius cognoscatur, cum praesertim Codex leges de patrinis in baptismo diserte tulerit, lib. III, part. I, tit. I, cap. IV, quae in *Rituali Romano* denuo recensentur, et pro confirmatione, tit. II, cap. IV.

Etenim prouti nemo a parocho proprio est admittendus ad patrini munus, qui conditionibus ad validam aut licitam huius muneris susceptionem requisitis non praestat, ita quoties in sacramenti collatione quis patrini partes expleat non suo nomine, sed alterius certae et determinatae personae nomine eiusque mandato, huiusmodi mandatum seu

mandantis voluntas legitime probetur oportet, videlicet per idoneos testes aut per scriptum ac legitimum documentum, nisi aliunde intentio mandantis sit certo et indubitanter parocho proprio baptizandi vel confirmandi explorata, adeo ut parochus investigare queat an designatus patrinus polleat qualitatibus iure requisitis, atque in libris, ubi ad tramitem ss. canonum est notanda sacramenti collatio, inscribatur nomen tum procuratoris tum mandantis, qui se quidem patrini munus cum huius legalibus effectibus suscepisse scire debet. Hisce praecipue de rationibus hic Sacer Ordo reprobandam censuit consuetudinem quae, etsi recte observetur, mandatum dumtaxat generaliter praesumptum continet.

Id denique animadvertendum est, nempe patrinorum munus suapte natura ad laicos, pertinere; quare in *Catechismo Tridentino*, l. c., n. 26, praecipitur, accurate a pastoribus et a sacris concionatoribus efficiendum esse, ut fideles intelligant quae potissimum ad illud rite explendum sint necessaria. Prae primis explicare oportet quae causa fuerit cur patrini adhibeantur, quaeque sint partes eorum, quidque ab illis exigatur; quae maxime in ipsa sacramenti collatione opus est explanari, tum fidelibus omnibus, tum illis praecipue qui hoc munus suscipiunt.

Illud peculiariter est valde inculcandum, patrinorum esse, ex fideiussoris munere suscepto, spiritualis filii christianam institutionem curare (cc. 769, 797, 1335), eumque perpetuo sibi commendatum habere; unde eruitur quantum dedeceat ut, qui se alterius paedagogum et custodem professus est, illum deserat, quem semel in fidem et clientelam suam recepit, donec illum opera et praesidio suo egere intellexerit (*Catech. Trid.*, eod. l., n. 28). Quod instantius nostris temporibus urgendum est, quibus fides et boni mores magis periclitantur, cum ipsi quandoque *parentes, gravium officiorum obliti, christianae liberorum educationi* haud sedulo incumbant; proindeque patrinorum opera diligentius est « impendenda « ne a munere, cuius nomen et signum retinetur moribus, « observantia exulet christianae caritatis, quae illud instituit et commendat » (Ex Conc. Prov. Pragen., a. 1860).

Quae dum recoluntur gravissima documenta, adnotare praestat quod tam nobilis, excellens et efficax visa est Ecclesiae huiusmodi institutio de patrinis, ut passim in civilibus nationibus inducti sint patrinatus seu patronatus, veluti pro pueris, qui scholis incumbant, aut e scholis discesserint; uno verbo, pro omnibus fere huiusmodi necessitatibus, quibus parentes aut ipsi civiles magistratus haud satis prospicere valeant; sed cum fides christiana frigescat, hodie despicitur vel parvi fit sanctus patrinatus ab Ecclesia iam pridem institutus, et ex adverso studiose datur opera laicis institutionibus. At hoc incommodum tam grave tam-

que probrosum pro christianis viris e medio penitus tollendum est, et menti sanctae matris Ecclesiae obsequendum cum id in salutem quoque ipsius consortii civilis vertat.

Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 25 novembris 1925.

La question *juridique* se ramène à ce point précis : Le parrain de baptême (ou la marraine), qui veut se faire représenter par un mandataire, doit-il, sous peine d'invalidité, désigner une personne déterminée? — Ainsi posée, la question se résout négativement, à condition toutefois que le parrain *sache et admette* qu'on invitera *quelqu'un* pour le représenter et faire office de « parrain par procuration » lors de la collation du baptême. Quant à la *validité*, une procuration générale à une personne indéterminée est donc suffisante. C'est comme un blanc-seing à remplir par les parents ou par le curé. On suppose d'ailleurs que le vrai parrain a les qualités requises par le Canon 765 pour assumer validement cette charge.

Il n'y a pas lieu de s'étonner de cette réponse large à la question de validité. Une procuration générale suffit sans doute d'après la nature de la chose et le droit naturel ; si, de droit positif, l'Église avait voulu une désignation personnelle ou un mandat spécial, elle aurait exprimé cette exigence dans le Code, comme elle l'a fait, par exemple, pour le mariage (can. 1089, 1096).

Mais, quant à la *licéité*, la S. Congrégation se montre sévère pour la coutume de laisser désigner par le curé ou les parents le « parrain par procuration ». — Pareil abus, existant en Hollande, peut donner lieu à une incertitude regrettable sur le point de savoir, si le mandant a été validement le parrain de l'enfant : connaissait-il suffisamment cette coutume et voulait-il s'y conformer ? De là parfois des doutes pénibles, surtout touchant l'empêchement de mariage provenant de la parenté spirituelle. — En outre, cet abus expose la charge de parrain à être regardée comme une pure formalité sans conséquences, excluant presque tout souci des obligations qui en résultent (can. 769). — Enfin il rend presque impossible au curé de s'assurer si le vrai parrain a les qualités requises par les Canons 765 et 766.

La matière a paru assez importante à la S. Congrégation pour lui faire envoyer à tous les Ordinaires une *Instruction* sur la charge de parrain. Ce document nous montre, que malgré la tendance existant en beaucoup de régions, l'Église n'entend pas laisser diminuer l'importance pratique de l'office des « parents spirituels ».

1) Après quelques considérations historiques, l'Instruction fait bien remarquer qu'en substance la parenté spirituelle existe après comme

avant le Code (avec cette restriction toutefois que les *parents* du baptisé ou du confirmé ne contractent plus de parenté spirituelle avec le ministre du sacrement ou avec le parrain ; ni le confirmé avec le *ministre de la confirmation* (can. 768, 797). Mais la parenté spirituelle provenant de la confirmation (entre le confirmé et son parrain) n'est plus un empêchement de mariage : il était assez inutile de maintenir l'empêchement, puisque régulièrement le parrain et le confirmé doivent être de même sexe (can. 796).

2) Suit une série de citations précisant et exaltant l'office de parrain : il doit veiller à l'éducation spirituelle de son filleul. — Faut-il en conclure qu'il a ce devoir *plus* que les parents et même *avant* eux ? Nullement. De la comparaison des Canons 769, 797, 1113, 1335, 1372, il résulte qu'en premier lieu les *parents* répondent de l'éducation et de l'instruction religieuse de leurs enfants ; le parrain a un rôle subsidiaire : si les parents manquent à leur devoir, le parrain doit, en conscience, intervenir autant que les circonstances le permettent, pour assurer l'éducation religieuse de son filleul. A notre époque, vu l'indifférence religieuse de beaucoup de parents, on comprend que l'Église rappelle aux parrains que leur charge n'est pas une vaine formalité. Plus que jamais il y a lieu d'établir comme un suppléant spirituel des parents, un tuteur *in spiritualibus*. D'autre part cette indifférence rendra souvent impossible ou inefficace l'intervention du parrain. Mais il doit user de toute son influence sur les parents, pour forcer ceux-ci à envoyer l'enfant au catéchisme et à l'école catholique. Qu'il tâche au moins de fournir quelques bons livres, et d'exercer une heureuse influence sur son filleul par ses entretiens, ses bons exemples et ses prières. — Remarquons les mots *perpetuo* et *in tota vita* du Canon 769 : on peut en conclure que l'office du parrain ne cesse pas à la majorité de son filleul, mais l'obligation de charité de la correction paternelle ou fraternelle continue de lui incomber plus qu'à des étrangers.

3) La Congrégation insiste pour qu'on explique bien aux fidèles l'importance et les obligations de la charge de parrain ; — pour que le curé n'y admette jamais ceux qui ne remplissent pas les conditions exigées par les Canons 765 et 766 ; — pour que *la procuration soit donnée devant témoins ou par écrit*, à moins que l'intention du mandant ne soit connue sans aucun doute du propre curé de la personne à baptiser ou à confirmer ; — enfin, que dans les registres de baptême et de confirmation, on inscrive non seulement le nom du parrain, mais aussi celui de son mandataire. Il va sans dire que tout prêtre soucieux de son devoir, s'empressera de suivre ces directives du S.-Siège, qui ne sont en fait que le rappel ou l'explication des prescriptions du Code.

J. SALSMANS, S. I.